



Universitätsbibliothek Paderborn

Opvs De Ivdiciis Divinis, Qvae Devs In Hoc Mvndo Exercet

Accessit index concionatorius in omnes totius anni dies Dominicos & Festos, ab ipso Auctore confectus

Stengel, Georg

Ingolstadii, 1651

9. Pecunia iniustè acquisita, vtiliter perdita.

urn:nbn:de:hbz:466:1-45699

Qui volunt dinites fieri, incident in tentationem & in laqueum diaboli. 1. Tim. 6. 9.

Inter omnia metalla auro nullum est nobilius, sed nullum quoque grauius; quo ipso pondere auri Conditor voluit hominibus indicare, quantum sit in eo onus, quantum corporis & mentis impedimentum, ad cælum euolare cupientis. Qua de cauſa etiam Poëta ait:

Dinitias fugito, pondus graue celsa petenti:

Impedient animum, nec bene velle sinunt.

Parum refert, aureis, an ferreis compedibus ligeris. Absalom pulcherrimos nutriebat capillos, adeò ut nonnulli scribant, illos in ornamentum à mulieribus emtos. Illi tamen ipsi pulchri capilli in laqueum ei fuerunt, quo suspendetur. Quin & in onus: indicat enim diuina pagina, cæsariem eum grauasse, eaq; propter tō-debatur, & quando tondebat capillum, ait (*semel autem in anno ton-*
debat, quia grauabat eum cesaries) ponderabat capillos capitis sui
ducentis siccis, pondere publico, id est, ducentis vncijs. Tales sunt di-
nitiae, & onerant, & ligant, atque idcirco pili facienda, & ton-
denda. Quocirca rectè monet Chrysostomus: *Superflua quaq; am-*
puta, & fac pauperibus supplementum. Nam si calceamenta quis su-
pra mensuram pedibus adegerit, itinere certe prolixiore sentiet impedi-
menta; & vestimentum induens corporis staturam excedens eodem im-
plicabitur modo. *Quod si superfluum ubiq; inutile est, in pecunia fortius multò:* & qui supra quod satis est, habent, non modò in ipsa sufficien-
tia, sed in quibusdam necessarijs impediuntur. Nam qui deforis in a-
gone currunt, & ipsa exhunnt vestimenta; viam verò in cælum ferentem,
& eamdem arctam, & arduam tot cum impedimentijs, quo modo poteris
ambulare? *Veloci enim & expedito cuiquam panè impossibile est conse-*
qui salutem.

Quam vt nonnulli consequantur, singulari beneficio Deus ab eis opes, tamquam onera & laqueos, aufert, vt ostendat, non solùm malè parta, malè dilabi; sed etiam utiliter amitti, quod ac-
quisitum est flagitosè. In quam rem D. Gregorius Turonensis S. Greg. Tu-
hanc historiam memorat. *Quidam apud Lugdunensem urbem vix* ton. de glor.
ita laborans, ut unum tridentem posset habere, accensus auri execrabilis Confess. c. 109.
sacra fame, voluit per eam sacculi ora replere, in xii illum Prudentij no-
strī versiculum:

z. Reg. 14. 26.

S. Chrysost.
hom. 7. de
penit.

IX.

M

Apri

Auri namque, fames parto conquiritur auro.

Igitur de hoc triente vinum comparat, admixtisque aquis, iterum per ar-
gentos venumdans duplat pecuniam. Hec iterum atque iterum agit, &
tam diu turpis lucri sectator est factus, usquequo centum solidos de hoc
triente lucraretur. Sed judicium Dei confutauit lucra diaboli. Conge-
rens enim auarus negotiator aurum in sacculum, possessurus pecuniam.
vnius hora momento, alterius negotiatoris nundinas adit. Extractoque
eriente, quasi aliquid negotiaturus, colloqui cum socio caput. Erat au-
tem sacculus ex pelle Phoenicea, sicut his manu gestare mos est: & ecce su-
bito adseriens milius rapit eum pedibus atque discerpere tentat, putans a
colore partem aliquam carnis esse. Sed cum nihil pinguedinis sentiret in-
eo, enolaus super alueum Aravis, de quo hic aqua hauriens vino mi-
scuerat, laxatum sacculum deicxit in flumen. At ille, apprehensis capillis,
elidens se ad terram, spargensque puluorem super caput aiebat: Ve mibi,
qui iudicio Dei oppressus perdidii pecuniam, qua iniuste fuerat aggrega-
ta. Nam ex uno triente centum crexi solidos. Nunc perditis centum
solidis, vnu tantum mibi remansit triens. Ve mibi, sicut feci, sic recepi:
& qui nikilo eos habuit, ad nihilum redijisse conspicio. Talis pecunia, diabo-
le, tua est, per tale lucrum deduxisti Deo inobedientes in Tartaram. Tale
enim commercium & in presenti damni notam ingerit, & in futuro di-
uersarum penarum genera parit. Vides lector, 1. quod ducat lucra
cupiditas? 2. quas fraudes comminiscatur? 3. quas artes do-
ceat cauponantem? 4. Quam citè malè parta, malè dilabantur?
5. Sed & quanta benignitate Deus iniusta lucra auferat? iustum
trientem solùm relinquat? 6. Quam utile sit iudicia Dei agno-
scere, atque aequo animo ferre? 7. Denique infamiae notam, &
Tartari pecuniam, quæ sequitur eos, qui malis artibus volunt diuines-
fieri: illi enim incident in temptationem, & laqueum diaboli, qui irre-
titos trahit in exitium sempiternum.

3. Tim: 6. 9.

C A P V T VIII.

Quanta multis diuitijs sint occasio aeterna damnationis?

I.

Ea est improborum cæcitas & peruersitas, ut vitia non exti-
ment, quorum tamen vel sola nos deterrere deberet turpi-
tudo. Apposuit ergo Deus vitijs supplicia, quorum me-
tu non solùm vitia vitaremus, sed etiam periculis vitiorum liben-
ter capi